

ET MORBILLIS.

ravò à maligna aëris qualitate variolæ & morb. concitantur, publiceq; grassantur, aut contagio serpunt. Nam ab aëre venenato nò solùm humores vitiosi inquinantur & concitantur, vt natura ad eorum expulsionem infurgat: sed etiam interdum corrumpuntur, vnde ebullitio corruptiua excitatur, & variolæ multæ ac perniciosæ. Ob hanc causam variolæ & morb. sæpè pestem antecedunt: Quare à Rhase pestis nuncij dicuntur, ac ob eandem etiam causam interdum pestem sequuntur, remissa non nihil pestilenti aëris qualitate, quia pestis à magis venenata & maligna aëris qualitate concitatur.

25. Deinde vitiosa alimenta variolas & morbillos excitant, non semper quia naturam ad ebullitionem & expulsionem stimulant, sed etiam interdum, quia sanguinem vitiant, & corruptionem humorum augent: qualia sunt, primùm alimenta calida humida, dulcia, aut calida obstruendi vi prædita, quæ facilè putrescunt. Item cibi non consueti, qui feculentum, aquosum, corruptum sang. gignunt, qualis teste Auicen. est lac Camelinum, equinum &c. Si post exhibeatur, vinum aliaq; calida. Huc referuntur fructus horarij, vuæ recentes, mustum, dactyli, ficus recentes, lac & pisces in eadem mensa, potissimum haleces, & salmones recentes, anguillæ &c.

26. Differentiæ variol. & morbill. præcipuè sumuntur à materia, quæ ex supra dictis intelliguntur. Secundò à forma, vnde papulæ aliæ duræ, crassæ, aliæ molles &c. dicuntur. Tertiò à colore, vnde papulæ aut albæ, rubræ, virides, lividæ, aut nigræ sunt. Quartò à quantitate, vnde aliæ magnæ, aliæ parvæ. Item aliæ paucæ, aliæ copiosæ, coniunctæ aut duplices vocantur. Quintò à loco vbi erumpunt, qui vt plur. in cute est, aliquando in gutture, oculis, visceribus &c. Sextò à tempore modoq; eruptionis, vnde aliæ statim erum-

Hh 2 punct,

Differentiæ
variol. &
morbill.